



Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dominica resurrectio[n]is Euang. Cu[m] transisset sab. Mar. 16 Homiliæ
quinq[ue] Quarta & quinta sunt de resurrectione nostra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

TOMVS

SECUNDVS HOMILIA-
rum super **E**uangelia de tempore, à die
dominicæ

Resurrectionis

usq; ad

Aduentum domini,

adiunctis nonnullis sermonibus

De

Oratione,

Eleemosyna &

Obedientia magistratum &c.

EVANGELIUM

IN DIE SANCTO PASCHAE,

Marci. XVI.



In illo tempore: Cū
trāssisset sabbatū, Ma-
ria Magdalene & Ma-
ria Iacobi & Salome e-
merunt aromata, ut ue-
niētes ungerent Iesum.
Et ualde mane una sab-
batorum ueniūt ad mo-
numētum, orto iam so-
le. & dicebant ad inui-
cem: **Q**uis reuoluet no-

Matth. 28
Luce. 24
Johan. 20.

A

Matth. 28
Luc. 24

bis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, uiderunt reuolutum lapidem. erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumētum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, cooperatum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit, nō est hic. ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam. ibi eū uidebitis, sicut dixit uobis.

HOMILIA PRIMA.

Hierony:

+

Psalm. 117

Hierony.

Cant. 1

Domi non potest, quanta animi alacritate, quanta cum lætitia sanctissimus pater Hieronymus hodie exultat, cum in tam sancta festiuitate in hæc uerba erumpit: Post sabbata tristia felix irradiat dies, qui primatum in diebus tenet, luce prima in eo lucente, & domino meo cum triumpho resurgente atq; dicente: Hæc est dies quam fecit dominus. exultemus & lætemur in ea. At nos de tantæ diei solennitate deinceps dicturi, nunc solummodo exponamus euangelium, ubi tamen prius adhuc gestientem sancti patris spiritum, animumq; exultatem uobis paulo apertius declarauerimus. Ille em̄ super caput hoc scribens, primo statim limine sic inquit: Nunc aromatibus redolentibus cum sponsa & adolescentibus, quæ currunt post eam, conspergimus librum & cubiculum mentis nostræ, nunc introducit nos rex in cellaria sua. nunc surgit amica Maria, hyems abiit, pluuia recessit, flores uisi sunt in terra, uox turturis audita ē in terra nostra, uineæ florentes odorem dederunt, rediit sponus de umbra sub qua dormiuit in meridie. Quod si tam lætabundus optimi patris exultauit calamus, quanto feruentior illius animus fuit? quanto spiritus extitit ardentior alacriorq;

PASCHAE

¶ Sed nos iam textum euangelicum adgrediamur.

Vbi primo statim loco considera, cur tandem hodierno die, qui dierum omnium longe sanctissimus est, euangelium ex Marco, non quolibet alio legatur euangelista. Eius rei rationem perspexitur, ad memoriam reuoca uisionem illam prophetica[m] Iezechielis, qua uidit iste in spiritu facies quatuor animalium, hominis, leonis, uituli & aquilae. Idem non paulo perspicacius uidit sanctus Iohannes, conspicatus animalia haec plena esse undique oculis, eademq[ue] dare honorem, gloriam & benedictionem sedenti super thronum. Per haec autem communi omnium doctorum consensu quatuor intelliguntur euangelistae, a quibus etiam quatuor illa descripta euangelia tantum recepta sunt ab ecclesia, non sine numine & instinctu spiritus sancti. Sic factum est ut istae quatuor animalium figurae, & ante Hieronymum & post illum semper tribuerentur quatuor euangelistis (Augustinus singulari tractatu trigesimo septimo super Iohannem, & de consensu euangelistarum libro primo, capite sexto.) Quia facies hominis Matthaeum designat, figura leonis Marcum representat, Lucam uitulus exprimit, in aspectu aquilae Iohannes intelligitur, sicut late super hoc disserit Hieronymus, scribens super Iezechielem, & in praefatione Glossae super Matthaeum, similiter & Gregorius super Iezechielem. Ambrosius in prologo Lucae. At nos hic caeteros mitimus, tantum leonem adsumimus, qui Marcum designat, eo quod in illo uox auditur rugientis leonis in deserto, uox inquam clamantis in deserto, Parate uiam domino. Et sicut ille euangelium suum inde inchoauit, ita totum proprietatibus adcommodauit leonis, quod ad longum hic diduci possit. Quia autem animalium facile robustissimum est leo, iuxta dictum Sapientis, recte illi comparatur CHRISTVS, qui sicubi alias, certe in resurrectione fortitudinem suam omnium manifestissime declarauit. Ut iam, sicut olim Philistaei aenigma soluentes, Samsoni dixerunt, Quid melle suauius? quid leone fortius? nos quoque optimo iure dicere possumus, quis fortior est & robustior leone illo nostro CHRISTO domino,

A ij

Iezech. 1.

Apo. 4.

Augustin.

Iezech. 1.
Romuli. 4.

Marci. 1.

Pro. 30.

Judic. 14.

qui deuicta morte de diabolo triumphans, ipsas etiam inferorum portas confregit, sicut in spiritu uidit Iohannes quando dixit: Ecce uicit leo de tribu Iuda.

Apoca. 5

¶ Potest idem ex leonis natura cognosci, sicut enim ille apertis dormire solet oculis, ita leo noster Christus, cum secundum naturam humanam obdormisceret, triduum totum in sepulchro recubens, uigilauit tamen secundum diuinitatem. Deinde cum leona emixa est leuinculos suos, illi non secus ac si demortui essent, alrissimum dormiunt: tandemq; peracto triduo, superueniente leone, totisq; uiribus conuiescente, uegetari incipiunt & se mouere. Ad eundem namq; modum leo hic noster tertia a morte sua die nos liberauit in resurrectione gloriosa, iuxta illud **Osee**: **¶** uiuificabit nos post duos dies. in die tertia suscitabit nos. Quia igitur nomine & aspectu leonis iam olim **Marcus** designatus est ab **Iezchiele**, & deinceps a **Iohanne**, **Christus**q; adeo fortitudinis sue specimen summum instar leonis in sua resurrectione exhibuit, cōsulto uisum est spiritui sancto, per uniuersam ecclesiam illud **Marc**i euangelium in hoc solenni die legi debere.

Gregori⁹.
Homi. 4
sup Ieze.

Osee. 6

¶ Quod transisse iam sabbatum **Marcus** dicit, manifestius liquet ex **Luca**. siquidē sepulto iam domino in die **Parasceues**, statim mulieres inuiserunt sepulchrum, & quomodo in eo repositus esset dominus. deinde domum reuersæ, paratis aromaribus, interquieuerunt per sabbatum. erat enim magnus dies ille sabbati propter festiuitatem **Paschæ**, quamobrem nihil in eo operari poterant.

Luc. 23

Matth. 23

Sed quia festum ex uespera durabat in uespera, finita festiuitatis uespero, coemerunt aromata, ut ea haberēt summo mane alterius diei parata ad unguendum corpus dñi-cum, ut habet quædam glossa **Beda**. Nam quis dubitet illas, quo erant feruore, quaq; ardentissima erga **Christū** dilectione, nisi sabbati prohibita fuissent magnitudine, & insigni sanctimonia, iam antea corpus domini peruncturas fuisse, maxime q̄ cum in fide adhuc non satis essent perfectæ circa diuinam omnipotentiam **Christi**, illū quē nil nisi hominem purum credebant, ex more **Iudæorum**, etiam quantocys ungeri properabant? Non sic autē uirgo mater **Maria**, quæ & illuminata erat in fide, & ideo

Beda.

terram filij sui resurrectionem expectabat.

¶ Idcirco & euangelista tres illas hic nominatim exprimit mulieres, Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, matrem scilicet Iacobi apostoli, quam alias Mariam Cleophae uocat Iohannes, sororem illam uirginis matris, cui filij fuerunt, Iacobus minor, Simon & Iudas & Ioseph (quamuis aliqui contendant Mariam Zebedæi, fuisse Mariam Iacobi à Iacobo maiore appellatam.) Et Mariam Salome, scilicet filiam, qui maritus fuit Annæ, illa autem contracto cum Zebedæo piscatore matrimonio, mater facta est duorum apostolorum Iohannis & Iacobi maioris. Et has quidem tres hic Marcus commemorat. Martha us duarum tantum meminit, Iohannes unius, Lucas plane nullius. Unde constat, euangelistas illas tantum nominatim appellasse mulieres, quæ & præcipuæ & feruentiores cæteris in charitate & dilectione dei fuere, nam plures earum fuisse quis ambigat? Martham quoque interfuisse huic pœpæ quis neget? Omnes autem illæ emerunt aromata, ut ueniētes ungerent Iesum ex more Iudeorum, qui honorem huiusmodi defunctis quos amauerant, deferre solebant, ne statim tabe & putredine absumerentur. Didicerantque hoc illi à Ioseph, qui patrem suum Iacob optimis & preciosissimis aromatibus perunxit. Nunc uero, ut reliqua sacra, ita hæc quoque funebria interciderunt, præcipue inter neochristianos, qui quantulum obsecro est quod tū sanctis in cælo, tum ipsi deo impendunt cultus & honoris? Aliter longe maiores nostri, & qui adhuc uiuunt catholici boni, sentiunt, qui bona magnaque resurrectionis futuræ spe, iusta, exequias & cætera funebria sacra, mortuis diligenter impendunt.

3. ¶ Porro euangelista narrare pergit, quomodo mulieres istæ uenerint ad monumentum in quadam die sabbati, prima uidelicet illa à sabbato, quæ nobis iam dies est dominica: idque ualde mane, iam primum orto sole. Sed & hic diuersum narrare uidentur euangelistæ, dum Martha us uenisse eas dicit uesperi, Lucas ualde mane, Iohannes cum adhuc tenebræ essent, Marcus hic orto iam sole. Neque ramen alicuius contrarietatis insimulandus est spiritus sanctus: atque ideo concordiam illorum Augustinus

Johan. 19

Gene. 30

Matth. 28

Luc. 24.

Johan. 20.

Marc. 16.

Ang. c. 24 in libro tertio de consensu euangelistarum, sic parat & persuadere conat, ut dicat mulieres uesperis quidem unguenta parasse, ac deinde noctu egressas simul cum aurora exurgente peruenisse ad monumentum: non ramen quod iam tum sol fuerit ortus, sed quia aurora tunc caelo rutilabat ab alto. Et sic omnes euangelistae rem eandem diuersis tantum uerbis descripserunt. Matthaeus enim cum dicit, Vespere sabbati quae lucebat in prima sabbati, satis manifeste ostendit, quoniam non uelit proprie eas uenisse uesperis, sed in illa uespera, quae iam lucere incipit ad diem solis, quem nos dominicum iam dicimus: & ideo de uespera sic loquitur, ut de nocte tora, sed uilitatem per hoc monstrare uolens mulierum, quae tam curiosam super unguentis diligentiam habuerunt, ut ea pararet uesperis, uel in ijs paradisi totam etiam absumpserint noctem. Et hoc

Hierony: est quod Hieronymus dicit, factum id esse diluculo, quod inter tenebras noctis & diei claritatem tempus intermedium est, quo salus generi humano uenit diuinitus.

¶ In ipso etiam tum itinere loquebantur mulieres ad inuicem, dicentes: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Tam illas inconsideratas feruor efficiebat charitatis, ut iam nil nisi Christum cogitarent, immemores lapidis, qui insigniter magnus erat. Quamuis id quoque dispensatione diuina factum credi potest, ut sic ab omni suspitione immunis haberetur resurrectio Christi, dum & lapide magno praemunitum, & militari custodia circumseptum sepulchrum illius fuisse constaret. Videntes autem illae & respicientes, ecce subito intuentur reuolutum lapidem, idque teste Marthaeo, ab angelo, praeterea magno terrae motu, descendens enim angelus, & lapidem reuoluit, & super illum sedit. Non tamen hic suspicis tu fecisse hoc angelum in obsequium Christi, ut sic ille referato surgere & exire posset sepulchro. namque ille & iam ante resurrexerat, & angelici ministerii beneficio in hoc non indigebat, qui propria uirtute resurrexit: eademque

Matth. 28 uirtute deinde ascendit in caelum, iuxta illud psalmi: Exaltare domine in uirtute tua. Quid quod Christus, ipsa dei uirtus (ut inquit Paulus) existens, nullo hic opus habere potuit angelorum obsequio? Aut cur tandem tanti fecit-

psalm. 29
r. Corin. 1
philip. 2

set Paulus cognitionem dei & uirtutem resurrectionis, si in hac Christus adiutus fuisset ab angelis? Neque temere est quicquid est, quod in spiritu iam olim præuderat Dauid ruinam inferni, contractasq; portas illius, & uertes di- **Psalm. 23**
 rutos, dum ipsum fortem & potentem uocat, dominum que uirtutum & regem gloriae. Credendum itaque cui-
 libet Christiano est, non aliter **CHRISTVM** clauso **Johan. 20**
 resurrexisse sepulchro, sicut ex intemerato natus est uir-
 ginis utero, & clausis ad discipulos suos foribus ingressus est.

4. Tandem quoq; ingressæ sunt mulieres in monu-
 mentum, quod quo potuerit modo fieri, esset quidẽ du-
 bitatio aliqua, si sepulchrum Christi fuisset tale, cuius mo-
 di iam nostra sunt ex effosso terra aggere: sed alia longe **Isaig. 53**
 illius ratio extitit, ut impleretur prophetia Isaia, quæ di-
 cit: Quia erit sepulchrum eius gloriosum. forma autem
 sepulchri Christi huiusmodi fuit: Primum omnium ca-
 uerna ibi quædam fuit in petram incisa, ad octo pedum
 longitudinem simul & latitudinem, ad eam ingressus pa- **Forma se-**
 tuit per humilem ianuam ab oriente: post ingressum ad **pulchri**
 dexteram, uersus septentrionem in pariete, altitudine tri- **dominici.**
 um spithamarum à terra sepulchrum fuit in petram exci-
 sum, in quo positus est dominus, foramini autem quo pa-
 tebat ingressus, lapis iste magnus aduolutus erat. Atque **Beda.**
 sic constat dictum illud à Beda, Quoniam introeuntes mu-
 lieres in domum illam rotundam, quæ in petra est excisa,
 uiderunt angelum sedentem ad meridianam partem lo-
 ci illius, ubi positum fuerat corpus Iesu. Quando igitur
 audis intrasse mulieres in monumentum, intellige ingres-
 sas eas in cryptam siue cauatam cameram illam, in qua se-
 pulchrum erat in petra excisum totum: totumq; opacum
 & sine fenestris, sicut adhuc in hodiernum diem cer nitur, **Matth. 28**
 & lampades in ea uidentur ardentes Hierosolymis.

¶ Matthæus porro unicum tantum angelum comme- **Marc. 16,**
 morat, qui & insederit lapidi, quem reuoluerat ab ostio,
 Marcus meminit angeli cuiusdam, qui sederit in ipso mo- **Luce. 24**
 numero ad dexteram. Lucas angelos duos commemorat,
 eosq; stantes. Iohannes refert, Mariam Magdalenam angelos **Johan. 20**
 duos uidisse sederes, alterum ad caput, ad pedes alterum.

- Augu. de** **Conciliaturus** ista Augustinus, dicit angelum unum ex-
cont. euā. tra monumentum fuisse, de quo Matthæus scribit: alium
li. 3. c. 24. in ipso sedisse sepulchro, sicut Marcus commemorat: qui
 tamen ambo mulieribus illis aperte resurrectionem do-
 mini annuntiârunt: non alij utiq; q̄ q̄s Lucas etiam & Io-
 hannes commemorant. Idem deinde intellectum propo-
 nit illius, quomodo unus apud Matthæum & Marcum
 fuerit angelus: & quod lapis reuolutus in crypta ipsa iacu-
 erit, super quem & angelus sedit iuxta Matthæum: idq; ad
 dextram, teste Marco. Sed quid multa? cum constat, quia
Luc 2. nato domino, angelus unus pastoribus apparuit, adnun-
 cians eis natiuitatem Messia, & statim postea multitudo
 quoq; uisa, auditaq; est angelorum psallentium, pie credē-
 dum est, etiam hic in dominica resurrectione, complures
 apparuisse angelos, nuncios resurrectionis tam splendi-
 dæ & gloriose, quando & ipse tum Christus à monumē-
 to non absuit, & mulieres ac Maria Magdalena maxime
 curiosæ & nimium sollicitæ circumcurrabant, ne ange-
 lis quidem subinde uisis interquiescentes, semp̄que me-
 tuentes, ne à ludæis furtim sublatum esset corpus domini.
Johā. 20 Et ut maxime primum sederint angeli, sicut Iohannes
 refert, tamen iidem surgere statim potuerunt, ut uerū sit
 quod Lucas commemorat, quoniam modis omnibus cre-
 dere debemus, istas angelorum apparitiones factas esse
 singulas, ita ut singuli euangelistæ pro se quisque peculi-
 are aliquid ex historia sint complexi: quorum si scripta
 singula coniungas, iam totum simul habeas historiae si-
 lum iusto ordine contextum. Sic multis in locis testatur
Augu. li. 1. Augustinus morem hunc fuisse euangelistis, ut quod un⁹
de conse. intermisit, id ipsum suppleuerint alij. Quod si nanque
Euan. c. 7 multi angeli apparuerunt Iacob in ipsa uia iam ex Meso-
Gene. 32 potamia reuertenti domum, quando dicebat, Hæc sunt
 castra dei: quanto rectius credi & potest & debet, plures
 angelos ad Christum etiam uenisse post resurrectionem
 suam? Cui cum adfuerint in deserto, quando cum diabo-
Matth. 4 lo congregiebatur, quanto magis nunc triumphatori
 astiterunt ex tanta præcipue angelorum multitudine,
 de qua Daniel: Millia, inquit, millium ministrabāt ei, & de-
Danie. 7 cies centena millia assistebāt ei. Ut iā nulla omnino sit hic

vel leuiter saltem suspicanda euāgelistarū contrarietas, in tam exiguo præsertim numero angelorum: quoniam exprimi uerbis non potest, quātum angeli sint gauisi de resurrectione Christi domini regisq; sui, & de ruina aduersarij. Atq; sic deinceps cæteros etiam angelos gaudij huius uoluerunt esse participes, sicut nunc quoque lætābunda concnit ecclesia: In resurrectione tua **Christe Alleluia**, cælum & terra lætentur Alleluia. *Ecclesia.*

¶ Et nobis igitur quoque gloriosæ resurrectionis suæ gaudia concedere dignetur Christus, quatenus sic nos etiam læti resurgentes in die nouissimo, post hanc uitā ab ipso illam suscipere mereamur æternam, Amen

HOMILIA SECUNDA IN DIE

sancto Paschæ.

Ecce adest nobis dominus noster Iesus Christus, a cōfractis inferorum portis triumphator & uictor robustissimus, dicens: Ego soporatus sum & exurrexi, quia dominus suscepit me. Ecce mulieres quoque nihil tamen magnum, nihil dignum adhuc deitate Iesu sapientes, adsident sepulchro, & emunt unguenta, ut ait Theophylactus, eadem illi ut mortuo & sepulto parant, cui diem solennem & gaudia constituere debebant, tanquam triumphatori de morte fortissimo: quoniam deus probauit eum & cognouit, nec sessionem illius tantum, sed & resurrectionem nouit, hoc est, glorificationē, quæ sibi ut merito suo debebatur, ita data est. Venerunt ad monumentum mulieres. ingressæ sunt in illud. uiderunt lapidem illum magnum reuolutum. conspexerunt insuper adolescentem a dextris sedentem, amictum stola & ueste prælonga. Adolescens hic, angelus dei fuit, in adsumpto corpore uisibili uisus, & adolescens quidem apparuit, designaturus post resurrectionem in beatis omnibus ætatem fore iuuenilem, uegetam, semperq; florentē, quæ erunt illi sicut angeli dei. Eo pertinet, quod etiam Christus transfiguratus in ueste alba apparuit, erat em uestimentum illius candidum sicut nix. *psalm. 9*
Theoph.
psalm. 136
Matth. 27
Marc. 9

¶ Sed quid hoc, inquires forsitan, sibi uult, quod ubi primum cælo delapsus angelus super lapidē sedit, factus

A v

est aspectus eius sicut fulgur: Hoc nimirum, quia custodes uolebat deterrere: mulieribus autem latus apparuit, quoniam illas ueniebat consolari. Sicq; angeli corporibus dominantur adsumptis, ut possint ea pro suo lubitu transmutare. Quomodo habitu hortulani Magdalene uisus est dominus, & duobus discipulis euntibus in Emau facie peregrini. Quamuis autem forma corporis adsumpta apparebant angeli, tamen exterritæ sunt per hoc mulieres, & de facto illo multum admiratæ. lapis, quem iamiam ante ostium uiderant monumenti, reuolutus erat. sanctum CHRISTI corpus in sepulchro non inueniebatur, tantum fasciæ aderant & sudaria. adfidebat hic angelus, magnus & ardens erat mulierum animus in dilectione CHRISTI. sed quod eis acciderat, magnum erat & insolitum. unde expauescebant, super ijs nimirum, ut

Johan. 20
Lucę. 24

Hierony.
1. Corin. 2

inquit Hieronymus, quæ nec oculus uiderat unquam, neque audierat auris, neque in cor ullius unquam hominis ascenderat.

2. ¶ Videns igitur angelus expauescere ex uisione mulieris, ait illis: Nolite expauescere, idq; sane signum angeli boni extitit, cuiusmodi apparitio etiam Zachariæ uisa est, cui & dixit angelus: Noli timere Zacharia, exaudita est oratio tua. sic Gabriel loquutus est ad Mariam: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum. Ita hic angelus mulieres quoque consolatus est, iussitq; nihil metuere. quasi dicere uellet: Paueant illi qui non amant aduētum supernorum ciuium, pertimescant qui carnalibus desiderijs pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem quum piæ sitis, quum Christum ametis, ut quid expauescitis? Sic principio, inquit

Lucę. 1

Gregori⁹.

Theoph.
pulcherri
ma huius
contextus
explicatio

Theophylactus, eas à metu liberat, deinde bonum illud de resurrectione nūcium adfert. Vide autem quàm prudenter, integre & proprie angelus mulieribus loquens, paucis adeo uerbis, plurima complectitur. Primum omnium eis animum, adfectumq; bonum parit, dum dicit, Nolite expauescere. deinde obsequium illarum erga Christum commemorat, inquiens: Quia Iesum queritis. & ne hic quoque aliquis maneret serupus, addit, Nazarenum. neq; crucem domini sui reformidans, citra pudorem sus

dit, crucifixū iam enim glorificata crux fuerat, iam morte CHRISTI erat cohonestata, in qua ille salutem totius generis humani operatus erat, quē admodum Paulus quoque pacificata per Christum esse omnia scribit in cælo & super terram in sanguine illi. Sed ne inquisitio uestra sit facta frustra, en nūcium quod uobis nouum adfero & lætū. Surrexit ille, id ut adeo uobis probem manifeste, ecce non est hic, in eius rei fidem & argumentum, ipsa quoque uenite & uidere locum, in quo positus ille à Iosepho & Nicodemo fuit. Et sicut illius nūcij ego uobis angelus & apostolus aduenio, denunciāns uobis gloriosam CHRISTI resurrectionem: ita uicissim uos abite, & nūciā atque adeo apostolā estote Petro & fratribus cæteris. Et in signum illius certum, ecce præcedet uos in Galilæam. gaudere itaque, quia ibi eum adhuc corporaliter etiam uidebitis. Omnia autem hæc ne differatis credere, quoniam & ipse prædixit uobis. Tu hic mihi considera, quā lætū, quāq; festiuum & alacris sit illud nūcium angelorum, qui deum immortalem, perturbata mulierum pectora, animosq; tristes, quanto, quāq; subito & insperato gaudio, responso isto unico perfuderunt: ut sic qui iam e monumento suo resurrexerat dominus, in illas etiam cordibus resurgeret. Nolite expauescere, inquit angelus, quia merore uos confectas uideo. nolite perturbari amplius, quia quem amissum putabatis, quem quærebatis, ille iam à uobis inuentus est, ait Hieronymus. Ecce autem quantū & quot parasangis distat inquisitio uestra ab inuento. Quæritis enim crucifixum, & illum desideratis ungere. Non eget ille iam unctiōne uestra. surrexit etenim, & uiuit iam potenter ac præualide. multum uos de illo doluistis, parantes unguenta. quinimo iam gaudete, quoniam resurrexit ille. Impleta nūc est propheta Dauidis, Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Surrexit iam, non est hic. Ac si aperre dicat: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Promisit enim illi deus corporis sui conseruationem, & ab omni putredine immunitatem, sicut in persona eius Dauid dixit ad dominum: Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi

pondera
tu literam
in alijs et
am simili-
ter.

Hierony.

Psalm. 129

Psalm. 15

fecisti uias uitæ, adimplebis me lacrima cū uultu tuo.

Hierony. ¶ Cum iam resurrectionem CHRISTI mulieribus denunciasset angelus, & radicem illam crucis amarā euauisse, florem uero uitæ cum fructibus erupisse prædixisset, ut inquit Hieronymus, iamq̄ cōstaret, quia hic nō eēt per præsentiam corporis, qui tamen nusquam deerat p̄ præsentiam maiestatis, deinceps ille mulieribus quædā tanti miraculi præbet argumenta. Nam & locum cōmonstrat, quo à Iosepho & Nicodemo positus erat, ibi præter fascias & sudarium nihil cōparebat. & idē quod uiderint denunciare iubet discipulis CHRISTI & Petro, quos ille præcessurus sit in Galilæam. **Mulieribus,** inquit Hieronymus, dicitur ut adnuncient apostolis: quia per mulierē mors adnunciata est, per mulieres uita resurgens.

¶ Sed hic iam mussitantem quendam audio, secumq̄ tacito obmuturantem: Cur tandem præ cæteris apostolis solum hic cōmemorat Petrum euangelista? huic non ego, sed sanctus respōdebit Gregorius, sic dicens: Quia si hunc angelus nominatim nō exprimeret, qui magistrum negauerat, uenire inter discipulos nō auderet. Quis em̄ dubiter Petrum iam nunc seipsum etiam indignum apostolatu reputasse, qui p̄priū abnegauerat magistrum? Et tamen hic nos docet angelus, atq̄ per angelum Christus, magnum quoddam & p̄tōribus omnibus qui pristina uitæ pœnitentia ducuntur, obseruandum mysterium, quod uno uerbo cōplexus est Hieronymus, quū ait: Pctā, pctā inquam nō nocent, quando nō placent. Addit igitur angelus, & Petro: quoniam hic aliās mulieribus non credidisset, dixisset potius, Equidem iam illius nō sum discipulus, quem etiam negaui. Quapropter omnis illa pctā sui absolutio, totiusq̄ negationis remissio quid putas fuit aliud, quàm si angelus mulierib⁹ dixisset istud, quod Paulus ad Corinthos: Obsecro, inquit, uos, ut confirmeris illum in charitate ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.

¶ Nō desunt qui aliam adhuc reddant eius rei rationē, quod addidit angelus, & Petro: hanc scilicet, q̄a per hoc insinuare uoluerit Petrum cæteris apostolis excellentiorem dignitoremq̄ esse, dum eum ab illis separauit. Sic

Theophylactus dicit: Petrum ab alijs discipulis, ut præci Theoph.
puum segregat angelus, ac ob excellentiam nominat
præ alijs, sicut statim deinceps illū cōmunem uniuersæ
ecclesiæ præfecit pastorem. Audis Luthere?

4. ¶ Denunciauit itaq; angelus per mulieres discipu-
lis Christi & Petro, q̄a præcessurus eos sit ille in Galileā.
Quo uerbo qd sibi uoluerit angelus, quærun̄ hic docto-
res. Marcus enim trinam etiam Christi referens appariti-
onem, idipsum nō commemorat. Ad hæc hodierno die
discipulis decem apparuit quidem, sed nō in Galilæa, uerū
in Ierusalem. tantum autem hæc ab illa distabat, autore
Augustino, ut non potuerant discipuli unius diei itinere
à Galilæa venire Hierosolymam. Neq; uero dici potest,
dominum in spatio octidui cuiquam apparuisse in Cali-
læa, eo quod octauo deniq; ab hinc die apparuit Thomæ,
qui tūc in Ierusalem erat cum cæteris fratribus. Quid
quod apparitio ista aliquanto tempore post facta nō est?
siquidem Iohannes refert Christum tertio apparuisse di-
scipulis suis ad mare Tiberiadis: ubi tamen nō omnes, sed
tantum septem adfuere discipuli, inter quos adhuc Na-
thanael quoq; fuit, & ipse non apostolus, si modo nō alij
adfuerint inter septem istos extra gregem apostolorum.
Quid igitur sibi uult quod de Galilæa prænunciat ange-
lus? qui si de Ierusalem (ubi nō semel suis apparuit Chri-
stus) dixisset, nōne latius hoc eis fuisset?

¶ Iam igitur ad hæc omnia respōsionem medittemur,
& adferamus, si tamen prius uerbum illud Hieronymi su-
per hoc attendendum uobis p̄posuerimus, Quia breuis
hæc sententia est in syllabis, sed ingens in quantitate p̄-
missionis. Si quidem hic Augustinus cōmemorat illud ad
literam quoque esse impletum, sicut clare testatur Mar-
thæus, qui non reticuit apostolos undecim abisse in Cali-
læam super montem quō ire iusserat eos dominus. Id li-
cet diu post resurrectionem factum sit, quid tamen hoc
interest, modo de facto cōstet? eo maxime, quod angelus
etiam locum tm̄, non tempus eis designauit, nec nume-
r̄ apparitionis illius præscripsit, nihil addens primō ne, an
tertio, aut quarto, futura esset. Tantum Galilæam nomi-
nauit angelus, & in ea appariturū illis Christi prædixit.

Quod & factum est, sicut Matthæi testatur euangelium, Quod si quæris, cur Galilææ tantum meminerit angelus, & illius quæ in ea facta est apparitionis, cæteras oēs tacuit, quæ & citius illa & propinquius acciderūt, ad hoc quoque respōdeo & dico, colligi id facile posse, quia Christus antea discipulis suis septies apparuit iuxta certam historicæ euangelicæ fidem, antequam uideretur ab illis in Galilæa, sicut eis hic promiserat angelus. Eius autem ratio reddi potest, quoniam septem illæ apparitiones factæ sunt ad fortius cōfirmandā resurrectionis illius fidē, ut testatur Lucas, cum ait: Præbuit ille seipsum uiuum post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno dei. Sed quando in Galilæa apparuit illis, iuxta promissum angeli, potestatem dedit eis & promissionem diffundendæ per uniuersum terrarum orbem fidei euangelicæ: sicq; fore, ut & religio sancta dei per apostolos toto mūdo diffunderetur, & ille suam ecclesiam nunquam relinqueret. Potestatem etiam tunc eis contulit prædicandi, baptizandi, administrandi, & singula quæ ab ipso accepissent mandata manu tenendi, quemadmodum promiserat se cum illis mansurum usque ad consummationem seculi.

Actus. 2

Matth. 23

¶ Beatus Augustinus tandem aliam adhuc dat responsionem, dicens: Quia uox ista sit non euangelicæ narratis, quod ita factum sit, sed euangelicæ aut narrantis, quod ita ab angelo & a domino dictum sit, propheticæ dictum accipiendum est: quoniam Galilæa Hebræis transmigrationem significat, qua è loco in locum commigratur. Sicq; illud quod angelus dixit, Præcedet uos in Galilæam, designabat fore, ut gratia Christi ex populo Israel aliquando commigraret & transiret ad gentes. A gentibus autem doctrina apostolorum nec suscepta esset, nec credita, nisi prius Christus illos præcessisset in cordibus eorum: atque ideo sequitur, ibi eum uidebitis. Viderunt enim utique dominum in cordibus infidelium, adeo ut obstupuerint inde, sicut de Petro legitur & iudæis: quoniam CHRISTVM inter gentes inuenturi essent, iuxta uaticinium Isaïæ, quod sic habet: Trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris, uidit

Actus. 10

¶ 11.

Isaïe. 9

lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis
 lux orta est eis. Quæ etiam causa est, quur in Galilæa præ-
 dicare cœpit dominus, quum audisset in uinculis detine-
 ri Iohannem. Eodem pertinet, quod etiam prædicandi **Matth. 4**
 munus in Galilæa tradidit discipulis, ut sic conuenirent
 ultima primis. Præterea Galilæa reuelatio exponi so-
 let & dici, tuncque intellectus ille sic sibi constat, quod
 CHRISTVS præcessurus eos fuerat in Galilæa, hoc **Augustin.**
 est, in diuinæ maiestatis suæ reuelatione, non secundum
 humanitatem, sicut in eo cicatrices uulnerum uiderunt
 & palpârunt, sed secundum diuinitatem. Et merito id
 quidem, quia iuxta naturam diuinam CHRISTVS lux **Johan. 1**
 summa est, illuminans omnem hominem uenientem in
 hunc mundum, lux uera quæ lucet etiam in Cimmerijs
 tenebris: & eo nos præcessit ille, qui tamen nos nunquam
 dereliquit. fiet autem reuelatio ista diuinitatis suæ, tunc
 quum iam similes illi facti fuerimus, ipsumque uidebimus
 sicuti est. Hæc illa nimirum præcessio spiritalis est, qua **Johan. 3**
 Christum uisuri sumus in Galilæa, uera scilicet sui reue-
 latione, quomodo non uidebunt illum impij & pecca-
 tores. auferetur enim impius, ne uideat claritatem do-
 minni, sicque impij non uidebunt lumen,

¶ Prior tamen intellectus, literæ & contextui huic nõ
 paulo similior est, quod angelus dixerit mulieribus, præ-
 cessurum dominum discipulos suos in Galilæa, ita ut fa-
 ctum est deinceps: quia illi eum uiderunt in monte, sicut
 prædixerat eis, & hic per angelum, & alibi apud Iohan-
 nem: Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, &
 gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Hæc illa CHRI- **Johan. 16.**
 STI uerba etiamnum oportebat impleri: quia certo di-
 ctum est ab ipso, Cælum & terra transibunt, uerba au-
 tem mea non transibunt. Nos iam suppliciter domi- **Matth. 5**
 num deprecemur, quatenus ille nos quoque præcedat in
 Galilæam, quando commigraturi iam sumus ex hoc mû-
 do, ut sic nos etiam tunc læti uideamus dominum Iesum
 Christum in æterna patria. Id adeo nobis concedere di-
 gnetur deus æternus & omnipotēs, in secula benedictus,
 Amen.

sancto pasche.

- N**emini utiq; Christiano dubium est, omnia hodie sic accidisse, ut euangelica narrat historia. Veruntamen res illa gesta aliquid in sancta ecclesia signat gerendum. Sic quippe necesse est, ut audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis sint ex eorum imitatione facienda. Quod ergo emerunt mulieres aromata, cumq; illis uenerunt ungerere Christum, hoc suo exemplo nos etiam docuerunt, ut in eum qui mortuus est credentes, & odore uirtutum referti, sic cum opinione bonorum operum dominum quærentes, eodem modo ad monumentum illius cum orationibus ueniamus. Omnino autem mulieres has tres tibi persuade esse cuiuslibet boni Christiani animam, quæ ad Christi sepulchrum properans, triplicia secum ferat aromata siue unguenta sanctarum uirtutum, bonorum operum & piarum orationum: sicq; summo mane ueniat ad monumentum illius, uix dum orto sole. Mane surgendum est, mane ueniendum, in ipsa statim iuuentute, quando bonum est homini portare iugum domini ab adolescentia sua, & tamen ut iam tunc sol ortus sit: quoniam in hoc nobis datur exemplum, illuminata facie, decussisq; uitiorum tenebris, odorem bonorum operum domino & orationum suauitatem offerre, secundum quod Dauid iubet: Declina à malo, & fac bonum. Plane enim prius discuti oportet & euanescere tenebras peccatorum, quæ illucescat sol iustitiæ in operibus bonis.
- Beda.** ¶ Sepulchrum in quo recumbit dominus, ipsa sancta est scriptura. huic aduolutus est lapis insigniter magnus, puta uelamen intellectus legis ueteris secundum literam, quoniam & lex illa tabulis lapideis inscripta fuit. Sic in ueteri etiam testamento lapis ad monumentum Christi positus erat, quia sacramenta Christi abscondita fuerunt, Iudæosq; omnes latuerunt. lapidem hunc in hodiernum diem usq; seruant Iudæi, neq; reuoluunt à sepulchro domini, dum nequeunt intelligere Christi sacramenta, sub legali ueteris testamenti cortice latentia: quod & Paulus
- Gregori⁹.** *¶* **Gregori⁹.**
- Thren. 3**
- Beda.**
- Psalm. 36**
- Beda.**
- Exo. 24**
- 2. Corin. 3.**

professus de eis est, dicens: **V**sq; in hodiernum diem, cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad dominum, auferetur uelamen. lapis iste quoque à monumento reuolutus nondū erat duob; illis discipulis, cū irēt in **E**maus, tantisper dū adueniens **C**hristus ipse, manus admoueret lapidi huic, inciperetq; à **M**oyse & prophetis eis explicare scripturas omnes, quæ de se erant. Nunc uero in hunc usque diem lapis iste reuolutus ē à sepulchro dominico, quoniam gloria resurrectionis **C**hristi potēter est manifestata, & per eam pristina mors profligata, uitaq; nobis promissa sempiterna; & plane ueq; est illud **P**auli, qā si **C**hristus resurrexit, & nos utiq; resurrecturi sumus.

Luc. 24

1. Cor. 15

¶ **S**ecundo. Veniunt ad monumentum mulieres, uident reuolutum ab ostio lapidem, ingrediūtur & uident angelum sedentem ibi in albis &c.

¶ **Q**uorsum hæc, inquires? **M**ortuum scilicet, quia animæ sanctæ etiam ingrediuntur in monumentum, seq; conspeliunt **C**hristo, mortificantes quicquid in ipsis est concupiscentiæ prauæ, & omnino commortuæ **C**hristo ut **P**aulus inq;: **M**ortui estis, & uita uestra ē abscondita cū **C**hristo in deo. **M**ortificate ergo mēbra uestra quæ sunt super terram: quia quisquis sic cum **C**hristo unā sepelitur, cum eodem etiā lætus resurget. **S**ic enim **P**aulus: **C**um **C**hristus, inquit, apparuerit uita uestra, & uos parebitis cum ipso in gloria.

Coloss. 3

¶ **E**t q̄ angelum uiderunt, eod pertinet, q̄ homines pij ferentes secum odorem suauitatis & aromata uirtutum, unguenta bonorum operum & sanctæ orationis, intuentur ciues cæloꝝ, dū meditātur & concupiscūt in atria dñi.

Bernard.

Non absurdum est quod hic **B**ernardus inferit: **S**icut angeli in ipso **C**hristi sepulchro etiā post illius resurrectionem uisi sunt, sic iam quoque adsunt quotidie altaribus **C**hristianorum, dum eucharistia cōficiuntur. **V**erum quod ad dexteram sedere uisus est angelus, & ipsum mysterio non caret. **Q**uid enim per sinistram, nisi uita præfens, & per dexteram quid aliud, quàm uita perpetua designatur? **Q**uia ergo redemptor noster iam corruptionem carnis superauerat, & uitæ huius euerat transitum, merito

Gregou.

in monumento suo angelus apparuit à dextris, qui nunciare uenerat uitam illius sempiternam: poteratq; sic mulieribus dicere, quod Paulus Romanis: **R**esurrexit à mortuis **C**hristus, neque iam amplius moritur, mors illi ultra non dominabitur. quod enim uiuit, uiuit deo. Et conuenientem esse hunc de dextra sensum, ipsa etiam **C**hristi spōsa nos docet, cum ait: **S**inistra illius sub capite meo, & dextra eius amplexabit me. **S**inistra namq; dei ecclesia, prosperitatem uidelicet præsentis uitæ, quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit.

¶ In hoc etiam angelus stola candida coopertus apparuit, quia festiuitatis nostræ gaudia nunciauit, festum adnunciauit nostrum simul & angelorum: nostrum quidem, eo quod nos illo ad uitam reducti sumus immortalium; angelorum uero, quoniam reuocatis iam hominibus ad cælum, impletæ sunt ruinæ angelorum, quorum pars tertia cum **L**ucifero corruerat.

3. ¶ Dixit autem angelus mulieribus, **N**olite expauescere. **M**atthæus ait, aspectum angeli fuisse instar fulguris. **M**arcus addit ipsum sedisse hic amictum albis. **I**n fulgure terror timoris est, in nive blandimentum candoris. **H**inc patet, **C**H R I S T V M horribilem quidem esse peccatoribus, sed bonis placabilem & mitem, quando etiam angelus qui **C**hristi adnunciauit resurrectionem, gemina specie uisus est.

¶ Eodem pertinet, quod deus populum **I**srael præcessit in deserto, noctu quidem in specie columnæ igneæ, interdiu autem nubis candidæ. **N**octu exarsit ignis, ignis qui terret homines. **N**ox enim uitam significat malorum, nubes autem impedimentum & obstaculum designat uisionis, & dies uitam honorum. **S**ic ergo consolari solent angeli homines pios, & iubere ne quid expauescant, sicut angelus dixit **M**artæ, **Z**achariæ & **G**edeoni: **P**ax tecum, ne timeas, non morieris. & **D**anieli, **N**oli timere uir desideriosus, pax tibi, confortare & esto robustus.

¶ Præterea ait angelus ad mulieres: **I**esum quæritis Nazarenum crucifixum. **P**roh deum atque hominum fidem, quàm multi quærunt illum **I**esum **N**azarenum, hoc est, floridum, quàm diu fortunatè ipsis omnia succedunt, nec

Roma. 6

Cant. 2
Beda.Gregori⁹Psal. 109
Apo. 12

Beda.

Gregori⁹

Exodi. 13

Lucæ. 1
Iudic. 6
Daniel. 10

aliqua exercentur tempeſtatis procella: tunc enim ſatis quidem quaerunt Nazarenum, ſed non illum crucifixum: qui tot perſequutiones ſuſtinuit, cum ſane non quaerunt: ſed ſtatim adſtante aliqua uel minima tentationis & tribulationis aura, deficiunt, & non perſcuerant. *Viſque adeo delicatuli martyres, ut nil magis habeant in uotis, quam hic in mundo laerantes & gauifos, ſe tandem quoque regnare cum Chriſto, non attendentes fieri id nullo modo poſſe: quia iuxta Paulinum illud, per multas tribulationes ingrediendum eſt in regnum caelorum. Atque ideo Chriſtus ſe ſequi uolentes, non delicate uiuere & genio iuſſit indulgere, ſed crucem tollere, & ſic ipſum ſequi. Hoc enim illud eſt, quod hic angelus dixit mulieribus: **IESVM** quaeritis Nazarenum, crucifixum. Surrexit, inquit angelus, non eſt hic. Venite & uidete locum, ubi poſuerunt eum. Referri hoc commode poteſt ad religioſos, qui monaſteria incolunt. Eſt enim caenobium locus, in quo à ſanctis patribus reſoſitus eſt dominus, cum diſciplina morum & ſanctimonia uitae. Nunc uero, cum refrixerit charitas multorum, tam in caenobijs quam in mundo, ſurrexit inde **CHRISTVS**, neque amplius eſt illic. Adſunt quidem ibi adhuc faſciae & ſudaria, quibus inuolutus fuerat. Inuenias etiam nunc in caenobijs uirgas, habitus, flagella, funes, coronas, & id genus alia quaedam. non deeſt in illis fucus exterior, uideas in multis hypochriſin magnam & ſpeciem tantum pietatis: uerum non eſt ibi **IESVS**, nec aliqua in cordibus eorum charitas uera, nec ſancta ordinis diſciplina. De malis loquor, bonos (cuiusmodi adhuc utique ſuperſunt non pauci) inculpatos uolo. Quamuis neochriſtianorum monachi & moniales non **CHRISTVM** tantum, ſed & faſcias & ſudaria, & ipſum quoque iam amiſerunt dominicum ſepulchrum: dum monaſteria dereliquerunt, in quibus pie & ſancte uiuere debebant, ſeruentes deo, illique ſoli uiuentes, & omnino mortui mundo: abiecerunt in ſuper pannos, habitum ordinis ſui, cucullam & coronam capitis. Iamque uiuunt in omni peruerſitate, & caeno uiciorum prouoluuntur impudentes & perfrictae frontis, iuxta illud Ieremiae: **Frons mulieris mere-***

Matth. 13

Actuū. 14

Lucę. 9

Aduerſus
mona-
chos ma-
los.

Apoſtate.

Jerem. 3.

tricus facta est tibi, & noluit erubescere. **O** miserandum genus hominum, profugos monachos, periuros monachos, apostatas & uotifragas nonnas. **O** uitam, quam uiuunt, extremis deplorandum gemitibus & suspirijs. **Sed** hæc aliàs.

4. ¶ Neque ijs uerbis contentus angelus, insuper illas ablegat: **Ite**, inquit, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis. **Galilæa**, commigrationem sonat, & è loco uno transitum in alium. **Vult** itaque dominus noster **IESVS CHRISTVS** præcedere nos in Galilæam, quum iam ipse transmigrarit ab hac uita per supplicium crucis ad gloriam resurrectionis, à cruce in limbum, & rursus ad sepulchrum, à morte ad uitam, à pœna ad gloriam. **Et** recte Iesus à discipulis suis uidetur in Galilæa: quia & nos resurrectionis illius gloriam post læti uidebimus, si modo à uitæ ad uitæ celsitudinem transmigramus.

Gregori⁹.

1. Tim. 2

¶ Ita nos quoque docemur hodierna die uitam esse geminam. **mortalem** hanc & caducam quis est nostrum qui non cognoscat? **illam** uero **immortalem** quotusquisque est qui intelligat? **CHRISTVS** autem qui mediator dei est & hominum, illam subiit & suscepit, neque passionibus eius exhorruit: hanc uero resurrectione sua nobis commonstrauit, qui si istam carnis resurrectionem promississet tantum, neque etiam ipso facto declarasset, non credidissimus ei. **Sic** autem humiliatus ille ultero mori uoluit, & potenter de morte triumphans, resurrexit. **Atque** licet solus mortuus sit, solus tamen non surrexit, sed multa insuper corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt cum illo. **Et** nos igitur sedulo dominum oremus, ut ipsi quoque cum eo resurgamus, & in perpetuum cum ipso uiuamus in cælestibus, **Amen.**

*Plures homilias de sanctimonia et excellentia
huius festiuitatis, et gestis diei illius, in-
uenies parte tertia de festiuitati-
bus et sanctis.*

HOMILIA QVARTA IN

die sancto Paschæ, de resurrectione nostra futura in die nouissimo.

Si credimus quia Iesus mortuus est et resurrexit, ita et deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 1. Thes. 4

Etsi dies ille solennis omnibus alijs totius anni festiuitatibus longe eminentior est, eo quod hodierno die dominus Iesus Christus potenter & praeualide triumphauit de diabolo & morte, animaq; adeo illius benedicta ardentissimo quodam desiderio, sicut ante à corpore sanctissimo discesserat in cruce, ita nunc uicissim unita est illi uinculo indissolubili: quoniam qui se mel mortuus est, denuoq; de morte triumphans surrexit, illi ultra mors nunquam dominabitur. magna enim & immensa huius diei dignitas est, quæ & figuram gerit diei illius sempiternæ semperq; duraturæ, quamobrem festiuitas nostra à sabbato Iudæorum in diem dominicum translata est. tamen uel eo dignius nobis dies iste est celebrandus, maiorique honore colendus, quod per illam CHRISTI resurrectionem securitas nobis facta est resurrectionis nostræ. Et quamuis fidei nostræ catholicæ articuli plures sint, magni utique & sublimes, cuiusmodi iste est de unitate essentiæ diuinæ, item trinitate personarum, nullus tamen ex omnibus est ad nos pertinentibus, qui tam arduus sit ut iste de resurrectione carnis, quam firmiter in fide nostra profitemur. Matth. 22 Nam si ipsi nostram non crederemus resurrectionem esse futuram, sicut omnes penè ethnici non crediderunt, & hæretici Iudæorum Saducæi, atque nonnulli Christiani in Corintho, Vana esset, ut inquit Paulus, omnis fides nostra. 1. Corin. 15 Atq; adeo si non resurgūt mortui, ut quid periclitamur omni hora? Si secundum hominem ad bestias pugnaui

Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Ita nos quoque dicere possumus: Quorsum assidua nostrae uigiliae, quorsum preces pertinebunt, elemosynae & omnia opera bona quid nobis proderunt, si non ex morte nostra resurgemus? Quin potius edimus, ludimus, potamus? cras enim moriemur. Imò si Christus resurrexit autor nostrae resurrectionis, operemur bonum, laboremus diligenter & cum fiducia: quia cū Christo resurgemus & nos, modo sic uiuamus, ut tandē nos quoque dormientes deus per Iesum ad se adducat, sicut a principio ex Paulo dicere cepimus: Quoniam si Christum credimus mortuum & resurrexisse &c.

Aue Maria.

Salue festa dies, toto uenerabilis aeo.

¶ Breuiter nos iam per hanc homiliam dicere pergamus primum, quomodo Christus per suam gloriosam resurrectionem autor nobis sit resurrectionis nostrae: deinde pauca, quantum licebit per gratiam omnipotentis dei, de resurrectione nostra.

¶ Principio resurrectionem Christi hodie factam, causam esse resurrectionis nostrae, fundamentum sane firmum adfero esse fidei nostrae. Id adeo luce clarius ex uerbis Pauli liquet, quum ait: Si mortui non resurgunt, neque CHRISTVS resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est & fides uestra. Iam itaque quum resurrexerit à morte Christus, primiciae dormientium, constat quia sicut ex uno homine (Adam) prouenit peccatum, ita per unum hominem Christum est resurrectio mortuorum. Vnde patet, resurrectionem CHRISTI nostrae resurrectionis esse causam. Quod & Glossa quaedam restatur super illud Psalmi: Ad uesperam demorabitur aeternus, dicens resurrectionē Christi in causa esse, quod & nos resurgimus, hic quidem in anima, tunc autem etiam cum corpore, quamuis enim illa quoque futura in nouissimo die resurrectio uirtute fiet diuina, ea tamen uirtus etiam uoci Christi communicabit

¶ 1. Cor. 4.

¶ 2. Cor. 15.

¶ Psalm. 29.

tur, iuxta illud: Mortui audient uocem filij dei, & qui au-
 dierint, uiuent, quoniam sic implebitur propheta Da-
 uidis, dicentis: Dabit uoci suæ uocem uirtutis. *Johan. 5.*
 Glossa quædam super epistolam ad Hebræos, Nisi quis
 credat resurrectionem illam **CHRISTI** operari hanc *psalm. 67*
 nostram, nullum habet fundamentum cui superædifi-
 cet. *Heb. 6*
 Quia ergo deus pater omne iudicium dedit filio, &
 filius uoce sua suscitabit mortuos; necessario sequit, **Chri-**
stum sua resurrectione nobis quoque resurrectionis no-
 stræ esse autorem.

2. ¶ Præterea hodiernam illam **Christi** resurrectio-
 nem nostræ resurrectionis causam esse, probatur ex effe-
 ctu coniuncto: quoniam testante **Matthæo**, sepulchra mor-
 tuorum aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dor-
 mierant, resurrexerunt, & e monumentis exierunt post
Christi resurrectionem, atq; in ciuitate sancta apparue-
 runt multis. *Matth. 27*
 Quare manifeste uirtutis suæ potentiam
 declarauit **Christus**, nosq; simul admonere uoluit, quate-
 nus ex rebus præteritis moueamur psuadeamurq; ea quæ
 futura sunt, credere facilius: & omnino certum habere,
 quod sicut ille tunc resuscitauit mortuos quosdam, ita
 tempore iudicij nouissimi resuscitaturus sit omnes defun-
 ctos. Nanque id sane, licet aliquanto serius fiet, fiet tamē
 certo eo ipso die, quem & extremum nos dicimus, & in
 hoc iam olim diuina destinauit, pudentia, secundum il-
 lud quod **Job** dixit, Non euigilabit homo donec atterat
 cælum. An autem sancti nonnulli iam ante nouissimum
 diem resurrexerint, præter eos qui hodie cum **Christo** sur-
 rexerunt patres, non nostri est instituti iam, psequi.

¶ Pulchrum est quod hic doctores docēt, planeq; ad ocu-
 lum subiiciunt, quomodo resurrectio **Christi** nostræ resur-
 rectionis sit causa. Duplex enim sustentatio, detentio siue
 conseruatio est, animar; quidem in limbo, corpor; uero
 in ipsa terra: in qua ex quibus natum compactumq; erat
 pulueribus, in eosdem dissoluit. id utrunque ex peccato
Adæ contractum est. **CHRISTVS** itaque ut animas pa-
 trum eriperet, descendit in limbum: ut corpora in terris
 detenta ab hoc uinculo dissolueret, ipse tertia die resur-
 xit à mortuis. Quod si dicis, **Christus** passione sua resur-

resurrectionem nostram promeruit nobis, quid igitur resurrectionis illius facit ad nostram hanc? Respondeo uerum esse quidem, quod passione sua Christus omne bonum promeruit, sicut Paulus dicit nos, quum inimici essemus, reconciliatos esse deo per mortem filij sui. quamuis itaque Christus per passionem suam resurrectionem nobis nostram promeruit, tamen & nostram resurrectionem per suam operatur, sicut ibidem Glossa dicit; Saluari sumus per passionem ab ira, & reconciliati patri, nōdum tamen restituti per effectum felicitati. Sicut ergo in Adam omnes mortui sunt, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Reliqua ad resurrectionem Christi pertinentia uide in sermonibus de festo. Nos iam rursus accingimur de uniuersali hominum resurrectione plura dicturi.

3. Credendum firmiter est omnibus Christianis, singulos homines resurrecturos, idque omnipotenti uirtute dei. Qui sane fidei nostrae articulus nō minimus est, ab ipso Iuda Thadæo cōstitutus, & in uniuersa scriptura fortissime fundatus. Isaias namque dicit, Mortui resurgent, & qui sunt in monumentis, resurgent, idque secundum Septuaginta. nos enim sic legimus, *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Paulus quoque, *Ecce, inquit, mysterium dico, omnes nos resurgemus, sed nō omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* Et iterum, *Nolo uos ignorare de dormientibus, ut nō cōrristemini sicut gentes quæ spem nō habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Et infra, *Etiā dominus ipse in iussu & uoce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo; & mortui qui sunt in Christo, resurgent primi, deinde & nos.* Idem hoc tot retro seculis firmiter credidit unicum illud patientiæ exemplar Iob, adeo ut diceret, *Scio quia redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, rursusque circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo dominum meum, quem uisurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt & non alius. reposita est hæc spes in sinu meo.* Credidit idipsum iam olim etiam Martha, quæ loquens ad CHRISTVM de Lazaro suo, *Scio, inquit, quia resurget*

Roma. 5

Glossa.

Isai. 26

1. Cori. 15

1. Thes. 4

Job. 19

Johan. 11

in nouissimo die. Christus quoque uenturam praedixit ho-
ram, qua omnes qui fuerint tunc in monumentis, audient **Johan. 2**
uocem filii dei. Profecto autem nisi id ita esset, plerique ho-
minum qui uix hoc modo patientiam seruant, qua sunt
iniquitate, penè ad insaniam usque indigne ferrèt, tam in-
iquè multa comparata esse in terris, adeo multa multis im-
pune licere: quae tamen aliquando singula puniantur o-
portet, aliàs clamarent illud propheticum: **Vbi est deus Malac. 2**
iudicij? Constat igitur & satis manifeste patet, omnes ho-
mines resurrecturos corpore & anima in nouissimo die,
praeter eos qui antea miraculose resurrexerunt.

4. ¶ Quamuis difficile creditu & semper fuerit & sit
etiam nunc multis, quomodo in eodè plane quo mortu-
us est corpore, resurrecturus sit homo, tamè id sane fide no-
stra docemur esse uerissimum, quae nobis subinde ingerit **Luce. 2**
illud angeli: **Nō est impossibile apud deum omne uerbu.**
Omnino enim credere hic debemus ipsi Iob, proprie ad- Luce. 21
eo ossa sua, carnem quoque & pellem commemoranti. **Ma-**
gnū est, nobisque adeo diligēter attendendum, quod Christi
promissum sit capillum quoque non periturū de capite nostro.
Vnde sequitur non satis sibi constare sententiam eorum,
qui purarunt materiam quidē corporis reditura, sed non
in eadem membra in quibus antea fuerunt. Sic Augusti- Augu. in
nus, quemadmodum, inquit, statua cuiuslibet solubilis me Enchirid.
talli aut igne liqueceret, aut cōtereretur in puluerē, aut c. 89. r. 11.
confunderetur in massam, & eam quis uellet rursus ex il- 22. de ciui-
lius materiae quantitate reparare, nihil interesset ad eius tate dei c.
integritatem, quae particula materiae, cui membro statue 19.
redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat,
restituta resumeret. Verum tamen haec ipsa Augustini si-
mililitudo non adeo urget me, ut dissuaderi possim, quin
credā ex superioribus sacrescripturae locis illud, quod eo mai-
& excellentius est, quod etiam possit id quod minus. At deus
per suam omnipotentiam cadauer hominis uel ex qua-
tuor uentis seu partibus terrae congregare potest: an ne sin-
gulas materiae partes singulis partibus corporis (quo que
libet loco prius fuerint) ad commodare non poterit?

¶ Non est tamen quod putes omnem illam humani corpo-
ris carnem, quae in illo per totum uitae decursum fuerit,

resurrecturā: qm̄ hoc mō gigantes resurgerēt omnes ho-
mines. Vex calor ille naturalis nō cessat uel ad momētū,
quin aliquid absumat de uiuente: cui tamen qcquid sic de-
perit, cōtinuis alimētis id rursus restaurat. nancq; assiduo
ex cibo & potu sanguis nouus nouaq; caro adnasci & ad-
generat. Redibit igit in resurrectione omnis illa caro quæ
ex ipso matris utero sumpta est, quæq; deinceps ex cibo
& potu adcreuit ad iustam magnitudinē & proportionē
consequendam. Hinc quicquid superest, uel restaurando
deperdito à natura deputatum, non est, quod simul cū re-
liquo corpore resurgat totum. Quorsum enim faceret,
ut quis in capite suo etiam resectos sibi per omnē uitam
capillos iterum secum adferret resurgens? Aut non tur-
pe foret aliquem sic pilosum incedere instar arboris, que
late patentibus tum ramis tum folijs, in omnes partes dif-
funditur? Sequitur hinc, costam Adæ, unde Eua producta
est, non in Adamo, sed in Eua resurrectionem, eo quod co-
sta illa in Adamo superflua fuit, quo ad indiuiduum quidē,
ut in scholis loquimur, sed non quantum ad speciem.
Et si in Adamo etiam non abundasset, tamen quia latus il-
lius deus impleuit carne, caro iam illa loco costæ in cor-
pore Adæ resurget.

¶ Quid autem, si homines duos ex eadem materia cor-
pus habuissent: cuiusmodi est quod de antropophagis pas-
sim fertur. Et quid si sint homines, qui solis uescantur car-
nibus humanis: quomodo hic illa constabit resurrectio?
aut in utro resurget caro comesta: in uorante ne, an de-
uorato?

¶ Hic sane sunt qui putent nunquam omnino futurū,
ut homines duo carnem habeant eandem, pertinentē ad
suā substantiæ ueritatem, eo quo iam nos diximus mo-
do. Quod si tamen, inquit Augustinus, quispiam confectus
fame atq; compulsus uescatur cadaueribus hominū, quod
malum aliquos accidisse & uetus testatur historia, & no-
strorum temporū infelicia experientia docuerunt: tunc
caro etiā illa comesta in eius corpore resurget, qui ipsam
habuit prius, non qui per alimentum in sui corporis sub-
stantiam conuertit. Et si caro illa per omnia sic deperisset,
ut nusquam aliqua ipsius materia superesset, tamē de

Augu. lib.
21. de ciui-
ra. dei, ca.
20.
4. Reg. 6.

as, qua est omnipotentia, undecumq; uellet, eandem re-
 stauraret, sicut costæ locum in Adam carnibus suppleuit.

Designauit id ipsum aperta uisione Iezechiel propheta, *Gene. 2*
 etiam contra Augustinum, clare ostendens singula mem-
 bra suam materiam habitura. uidens enim in spiritu no-
 stræ resurrectionis formam, sic inquit: Accesserunt ossa ad
 ossa, unumquodq; ad iuncturam suam. In omnibus aut̄ ihs *Iezech. 17*
 multa sibi præseruauit deus, quæ nos misellos latet, sicut
 pro sua tum sapientia, tum omnipotentia, omnia iudica-
 turus est.

5. ¶ An autē singula in homine membra denuo surre-
 ctura sint, caput, intestina, uiscera, pulmo, epar, à nō nul-
 lis hic ambigi solet. Etsi autem, ut iamā professi sumus,
 non omnia hic scire queamus, attamen quantū ex sacris
 literis per spiritum sanctum nobis inspiratis, scire licet,
 omnia utiq; cum homine membra resurgēt: quia sic Chri- *Luce. 21*
 stus dixit capillum etiam de capite nullum periturū. Et *Matth. 10*
 iterū, numeratos esse capillos capitis nostri. Quod si igt-
 tur etiam capilli redibunt, quanto magis cætera mem-
 bra in quibus plusquā in capillis positū est: hoc tamen
 modo, quem Augustinus etiam adnotauit, quia in decorū
 aliquid non erit: sed quicquid futurū est, hoc decebit. Tā- *Augt. in*
 tumq; erit in capite & barba pilorum, quantum formæ *Enchirid.*
 corporis erit decorum, testante id ipsum Augustino. Sic *c. 90.*
 Rasas uiscera sua utraq; manu proiecit in medium popu- *Aug. de ci*
 lum, protestatus & deprecatus dominatorem uitæ & spi- *uitate li.*
 ritus, ut illa sibi restitueret. s. in resurrectione, sicq; sepul- *22. ca. 15.*
 tus est. Sic sanguis, inquit Ambrosius in quadā homilia *Ambrosii.*
 de martyribus, resurget in corpore, cæteri q; humores ad
 complexionem illius pertinentes: quoniam aliās anima
 corpus inhabitare non posset, eo quod sanguis quoque
 non nihil habet corpulentum & animæ conducibile, sic-
 ut scriptum est: Sanguis eorum pro anima est, Quam- *Deut. 12*
 obrem præcepit Iudeis deus, ne sanguine uescerentur. *1. Cori. 15.*
 Et ille sane sensus est Glossæ super istud Pauli, Mortui *Glossa.*
 resurgent incorrupti, inquit Glossa, sine omni defectu
 membrorum, Vbi quilibet Christianus pro sui intelle-
 ctus modulo & capacitate, immensam illam consideret
 diuinæ maiestatis omnipotentia, quæ potenter adeo mū-

dum hunc uniuersum gubernat, pro suo beneplacito omnia disponens. **Ipsi honor & gloria in secula seculorū. Amen.**

HOMILIA QUINTA ET VLTIMA

ma in die sancto de nostra resurrectione.

- 1. Thes. 4** **S**icredimus, inquit **Paulus**, q̄ **Iesus** mortuus est & resurrexit, & deus eos qui dormierunt per **Iesum**, adducet cum eo. **Ex** hoc & consimilibus sacre scripturæ locis manifeste patet, omnes homines resurrecturos. **Et** hic quidem circa nostram resurrectionem dubitationes nonnullæ supersunt, eas breuiter explicemus. **Principio** autem quæri solet, quam ætate resurrecturus sit homo in die nouissimo. **Respondeo** & dico primo, nos non agere hic de ætate illa annorum, quæ minutis supputat à principio ex quo cepit esse, sed ætatem hic accipimus bonam corporis dispositionem & ualetudinem. **Et** in hanc
- Aug. li. 22.** sententiam responderet **Augustinus** homines resurrecturos in die nouissimo ea corporis firmitate & ætate, in q̄
- dei. ca. 15** **Christus** resurrexit: hoc est, ex communi doctorum consensu, ætate annorum triginta trium & mensium trium. **Idq̄** adeo colligit ex illo Pauli dicto, **Occurremus** omnes in uirum perfectum, in mensurâ gr̄atis plenitudinis **Christi**. **Hinc** colligunt doctores, omnes nos resurrecturos ad extremum ea corporum perfectione, qua uel fuerimus uel futuri eramus hoc ipso annorum numero, quo resurrexit **Christus**. **Quisquis** igitur nimia sibi senectâ confectus uideretur, ne doleat, ne tristet. neq̄ enim sic uetulus & mucedus, sed uegetus resurget, qualis fuit in ipso ætatis flore circa annum trigesimum tertium. **Sicq̄** tum in paradiso implebitur illud **Dauidis**, **Renouabitur** ut aquilæ iuuenus tua. **Tunc** iuuenili aspectu uidebuntur in cælo omnes. **Tu** ergo qui senio premeris, sepiusq̄ te annis quereris esse grauatam, opras pristinam iuuentutem, desine id ipsum facere, te ipsum torquere noli. **Quinimo** bene uiue in omni patientia & benignitate dei, atq̄ repuerasces in resurre-

atione tua. Neq; aliter paruul^o qui a baptismo statim mo-
ritur, resurget in tali corporis sui proceritate, ac si annū
atrigisset trigessimū tertium. Quod si quæris, unde cor-
pus tantum tantillus sibi sumere poterit paruulus, ego
uicissim ex te quæro, tuq; adeo mihi responde, unde fa-
ctum sit, q̄ Christus quinque millia hominum quinq; pa- **Johan. 6**
nibus satiavit & duobus piscibus.

¶ Quamuis autem omnes homines & præcipue boni
(quia de damnatis nulla cura) resurgent in plenitudine
ætatis Christi, tamen non eadem & æqualis omniū erit
magnitudo. superabit enim alter alterū corporis proce-
ritate pro sua quisq; complexione & naturæ dispositiōe.
Atq; ideo Augustinus inquit: Quilibet mensuram suam **Augustin.**
accipiet, quam uel iuuentute sua habuit, uel habitur^o erat
si ad eandem pertigisset. Et licet corona dignitatis sic se-
nectus, propter experientiam rerum multarum & pluri- **Proue. 16.**
mam rationem, quomodo in senibus sapientia est, & in
multo tempore prudentia: tamen quia beati omnes sapi- **Job. 12**
entiam habituri sunt & prudentiam, pulchre conuenit il- **Senectus**
los in florida resurgere iuuentute: quam sui quoq; seculi
homines doctissimos circa triginta annos definisse iam
olim, satis magnus testis extitit Augustinus. Quid multa? **Augustin.**
nulla hic annorum ratio, nullus nec proceritatis, nec bre-
uitatis respectus habebitur, sed sola ista plena disposi-
tio triginta trium annorum. Quamobrem proprie adeo
Paulus dixit, In mensuram ætatis plenitudinis Christi, **Eph. 4**
nec aliquam facit staturæ uel corporis uel longitudinis
mentionem.

2. ¶ Porro q̄ ibidem ait Paulus, occursum nos Chri-
sto in uirum perfectum, & alibi etiam inquit conformes **Roman. 8.**
fore nos imaginis filij sui, a nonnullis queri solet, in quā
sexu resurrecturi sint omnes homines, eo q̄ testante Au-
gustino, non defuerunt qui adfirmarent mulieres quoq;
sexu uirili esse resurrecturas. siquidem sic in paradiso solū **Aug. li. 22.**
masculum ex terra produxit, mulierem ex costa uiri. Sed **c. 17. ciuita**
diuersum sentiunt patres sancti, attendentes quia natu- **Gene. 2**
ra est, non uitium sexus fœmineus, & q̄ utriusq; sexus
autor est deus, uterq; etiam ante lapsum fuit in paradiso
terrestri. itaq; in cœlesti etiam erit uterq;, ubi nullū por- **Gene. 1**

ro fieri poterit peccatum. Probat hoc Augustinus ex illo Christi responso, quo Saducæis ipsum de muliere, quæ uirum multo habuerat interrogantibus, non respondit eam in cælo mulierem amplius non futuram, sed quia non erunt illic nuptiæ neque coniugium. Quid quod ex hac domini responsione palam constat, mulieres futuras in cælo? Ait enim quia non nubent, nubere autem mulierum tantum est. Conueniunt itaque in hoc iam doctores omnino, quod quia nulla mala & carnalis erit in cælo concupiscentia, ista sexuum diuersitas nihil titillatiōis seu irritatiōis pariet ad libidinem. Solummodo omnes immensam illam dei laudabunt sapientiam & bonitatem.

¶ Cæterum si quis sciōlus quærat, quid tunc de hermaproditis sit futurum, respondeo huiusmodi uitium, quæ ex errore naturæ contingit, nullum in cælo, ubi omnes naturæ defectus tum corriguntur, tum uero penitus auferuntur, futurum. Quisquis autem hic hermaproditus fuerit, is in eo resurget sexu, qui prædominari in illo uidebat. Quod si neuter alterum superet, neque alter magis præcipuum habeat altero, is in digniori, puta uirili, resurrecturus est.

¶ Præterea, quia plures adhuc sunt in homine defectus, alij naturæ uitio, alij morborum grauitate, alij alium de contracti, quæri potest cuiusmodi illorum etiam futura sit resurrectio. Sane id genus uitia multa sunt, reperiunt enim homines gibbosos, cæcos, surdos, claudos, bicipites, sed digitos, aut etiam quatuor manus habentes. Respondeatur ergo, quia Paulus ait mortuos resurrecturos incorruptos, eosdem etiam immunes fore ab omni uitio, la-

1. Corin. 15 be, defectu & membrorum imperfectione. Quicquid ergo tunc erit in quo natura deliquit, id omne auctor naturæ castigabit, defectus omnes perficiet, singulas deformitates naturæ integritati restituet, idque adeo de resurrectione sanctorum certissimum est, quoniam nihil coinquinatum, nihil inordinatum intrabit in regnum caelorum.

¶ Quod autem ad malos attinet in hoc & consimilibus casibus, iubet nos beatus Augustinus non esse sollicitos, ait enim, Fatigare nos non debet incerta damnatorum habitudo uel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Sunt tamen ex doctoribus qui dicant, quoniam

Aug. En-
chi. c. 92.

nullus apud inferos ordo, sed sempiternus horror inhabetur, opus non esse ut eorum defectus restaurentur, eo quod quantacumque sint deformitate, satis habeant quo infernum decorent. Nec absurdum est, ut quorum nec conditio mutatur, nec status, eorum etiam corpora a priori labe non redimantur.

Job. 10

Verum nos hinc discamus infirmos homines & imbecilles non ridere, non contemnere. quis enim scit qui hic alget & laborat, quomodo habiturus sit illic, quando non mirum uideri debet cuiquam, eum qui hic claudicat, forsitan illic rectissimum fore & procerum: & uicissim qui hic bene habet, merasque rosas spirat & lilia, eum isthic perpetuo cum **Lucifero** periturum? Discant rursus hic qui egent patientia, & spem suam dirigere in deum: quem sciant quicquid in eis natura intermisit, pensaturum simul & hubertim supplerum in ipsorum resurrectione: in qua quicquid curuum antea fuerat, rectum fiat: quicquid in ipsis defecerat, redintegretur. Vnde tandem cum **Dauid** dicere possint: Tu perfecisti domine pedem meum sicut ceruorum. Et quis tandem credere nolit, multos qui nunc mundo habentur contemptissimi, tunc pulchriores orationesque futuros plerisque, qui nunc sibi & mundo uidentur pulcherrimi?

Psalm. 17

4. ¶ Adhuc tamen superest hic dubium, an omnes mortui simul sint resurrecturi in die nouissimo. Ad quod responderetur, uerba illa **Pauli** esse quidem difficilima, cum dicit: Hoc uobis dicimus in uerbo domini, quia nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduentu domini, non praeueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse dominus in iussu & in uoce archangeli & in tuba dei descendet de caelo: & mortui qui in **Christo** sunt, resurgent primi: deinde nos, qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cum domino erimus. Ex istis uerbis **Apostoli**, inquit **Hieronymus**, errorem istum sibi exuxerunt quidam, ut putarent eos qui imminente iam ultimi iudicij tempore, adhuc in terra superstites uiuerent, non mortuos. Verum hoc non ipsa tantum uerba non innuunt, sed aperte etiam repugnat **Paulo**, qui alibi omnes nos clamat

1. Thes. 4

Hierony.

1. Cor. 15

Roma. 5 mortuos, alibi in Adam omnes perhibet mori. Quamuis igitur multa hic dici possent, tamen quia bona eorum pars scholis est relinquenda, breuiter dicimus: Omnes homines simul in momento & in ictu oculi, ut Paulus ait, resurrecturos, nisi quibusdam à deo ob singularem dignitatem priuilegium aliquod peculiare collatum esset. Hoc addimus propter uirginem matrem, quæ (ut pie credendum est) non longe à morte sua corpore & anima resurrexit, ac forsitan quidam etiam alij sancti. Quod primo loco diximus, confirmat ipsa sancti Pauli autoritas: qui Corinthiis scribit resurrectionem istam in momento futuram, atque adeo in ictu oculi. Vt iam nulla futura sit hic dilatio, nulla uel minima morula, uno simul omnia tempore fient. Verba autem Pauli ad Thessalonicenses non sic intelligenda sunt, quasi alij alijs prius posteriusue resurgent: sed hic illorum sensus est, quod qui uicturi adhuc sunt tempore iudicij, iamiam futuri ex reliquijs Antichristi, illi nihilo uel citius uel tardius uenturi sunt ad iudicium, quam qui longo antea tempore sunt demortui, iamque dum pulueribus consumpti. Et quod deinde sequitur, eos qui in Christo dormierint, resurrecturos primos, id quoque non sic accipiendum est, quasi prius alijs sint resurrecturi, sed quia ibi boni prius resurgent, quam rapiantur obuiam Christo. (ita ut sit ordo non resurrectionis ad resurrectionem, sed resurrectionis ad raptum, quia soli boni rapiuntur obuiam Christo) Atque ideo non dixit Paulus, quia postea & nos resurgemus, & cum illis simul obuiam Christo rapiemur: sed hoc unum euincere uoluit ut persuaderet Iudæis, ne suspicarent eos, qui ante plura secula defuncti essent, ut Adam, Abel, &c. tardiuscule resurrecturos, sed uno omnes momento simul: sicque futurus, ut una etiam rapiantur obuiam Christo in aera. Et omnes igitur & singuli pro se quisque uno temporis momento resurgent. Sed quo tempore, id sane deus nouit, qui disponit omnia pro beneplacito suo, omnia gubernat pro sapientia sua. Porro quia tunc cælum stabit, & proinde tempus quod latio ne cæli metimur, nullum erit, non indiget res hæc dubitatione. Tantum nos, quod ut alibi, ita in hac re adprime necessarium est, oremus dominum nostrum Iesum Christum

stum, quatenus dignetur nobis resurrectionem donare omnibus gaudijs plenissimam, postquam nos cum illo in uita uiuamus æterna, Amen.

Nota, in scholis sequutus sum aliam sententiam uerborū Pauli, quòd loquatur de beatis iam in anima et corpore, qui nihilominus uenient ad illud uniuersale iudicium.

PRAETEREA DE RESVRRECTIONE nostra habes multa parte prima circa Dominicam secundam Auentus in materia de iudicio extremo.

FERIA SECUNDA
PASCHAE EVANGELIUM
Lucæ XXIII.



In illo tēpore: Duo ex discipulis CHRISTI ibant ipsa die in castellū, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus, & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderāt. Et factum est dū fabularentur & secum

C